

facile mihi erit aliam transmittere Tibi desideranti tempore verno. Certiorem me facias rogo an flores bellidis in Svecia non gignantur, cum in hisce oris copiosissime crescant. 2^{do} an Muscus Islandicus Borrichio catharticus dictus in Svecia ubertim inveniatur, et an experientiæ respondeat assertum Borrichii, quod scil: vere carptus purget, sed æstate vim purgandi amittat, atque si non nimis molestum Tibi foret exoptarem mihi majorem hujus musci quantitatem, ut effectum ejus in praxi ulterius perscrutari possem. 3^{uo} impertiri velis mihi candide rogo judicium tuum minus fucatum de specimine Medico-practico-botanico beati Parentis mei Consilarii status & Archiatri Regii nec non Professoris Med: edito a^o 1720 & mox deinceps a me translato in germanicam linguam, an nimirum consultum ducas & operæ pretium hoc minus perfectum opus pluribus indigenis augere plantis, licet hortus noster botanicus plures capere non queat, et an methodus abcedaria ob scopum practicum sit continuanda, siquidem hanc praxi medicæ magis accommodatam judicem, cum index morborum alphabeticus dictæ methodo feliciter superstrui possit. Silentio denique præterire nequeo insignem animi mei voluptatem, quam aliquot ante menses percepi e lectione sententiæ Tuæ de aquis æstivo tempore stagnantibus rubicundo quasi tinctis non raro colore, quem ex animalculis ejusdem coloris oriri accuratissime demonstrasti, siquidem phænomenon simile mihi heic observare licuit ante binos, & quod excurrit, annos, imo quod magis hanc aqvam purpuream in vase vitreo probe obturato asservatam denatis et corruptis animalculis viridescentem vidi experimento instituto à Dno Gerner Præfectos inter navales nostros Illustri in studio Mechanices excellentissimo & scientiæ naturali studiosissimo, quem tamen hactenus fefellit spes de inveniendo hic Polypo, quod curiosum omnino respectu generationis animalculum an Vestris in oris inveniatur averem scire. Pluribus Tibi molestus esse nolo, vetat quoque temporis angustia ob negotia tam publica quam privata tum & curas domesticas, quas nimia mihi peperit indulgentia. Nil itaque addam nisi votum: Servet Te Deus nestoreos in annos